













1749.

1. Ayres, Georg Henr.: De collisione protestationum illustri-  
brum etiam novissimarum circa quæstoriam: quis  
sit caput legitimus Ordinis Turci Velleris?
2. Ayresus, Georg Henricus: Analecta juris ad singularia  
Lahtorum Nordlingensium
3. Beckmann, Gustav Bernhard, Beckmann, Ottavio  
Leinisch: Gedanken von Gebrauch u. Mißbrauch der  
Exceptiv-Sätze . . . in der Rechtsgelahrtheit, womit  
sic ihre Sommer-Vorlesungen . . . anzeigen.
4. Boechnerus, Georgius Ludovicus: De origine et ratione  
Decimarum in Germania.
5. Boechnerus, Georgius Ludovicus: De obligatione succes-  
soris ex expectatione feudali antecessoris.



16<sup>a</sup>, b. c. = Boekmerus, Georgius Ludovicus: De liberis fidei-  
commissis oneratis. 3 Sept. 1749, 1750, 1765

7. Boekmerus, Georgius Ludovicus: De mulieris abprobram-  
vnaq[ue] Suet. et de Suet. Brucken, praesertim secundum  
jus Brunsvico-Lunenburgicum.

8. Boekmerus, Georgius Ludovicus: De juribus ex statu  
militari Germanorum pendentes

9. Boekmer, Georgius Ludovicus: Ord. jus. consuetudin.  
Secano: ad Tractum Henrici Schroederi lectionem  
cursoriam et Dissertationem in ang. iuribus paucis  
Josephus: De fidei ex veterum Francorum beneficiis  
onatis.

10 Von dem Busch, Ernestus Augustus Guntzelius: Inventionis  
academicae, qua de perpetua viro patre, liberis  
ex filia emancipata in matrimonio mortua super-



stibus, jure Communi vindicatus.

11. Sengelbrecht, Inst. Friderice Ludovicæ: De renunciatione

Senatus-consulti Vellejani privato instrumento factæ.

*[Faint, illegible handwriting on aged paper]*

*2/142*





9447  
DE

1749, 6<sup>c</sup> No: 1059.

LIBERIS  
FIDEICOMMISSO ONERATIS

8

DISSERTATIO

QVAM

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRAESIDE

GEORGIO LVDOVICO  
BOEHMERO D.

POTENTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS AB AVLAE  
CONSILII ET ANTECESSORE

D. VIII. OCTOBR. CIOI<sup>o</sup>CCXXXIX.

PVBLCO ERVDITORVM IVDICIO SVBICIT

AVCTOR

IOANNES ERNESTVS RVLING,

HANNOVERANVS.

---

EDITIO SECVNDA.

---

GOTTINGAE, MDCCLXV.





No. 11

L I B E R U S  
I N D I C I S  
I N D I C I S

D I S P O S I T I O

O R D I N E

I N A G R I C O L A

E T A R T I S

G E O R G I O I D O V I C O

B O R N I M E R O D

U N D  
I N A G R I C O L A

E T A R T I S

I N A G R I C O L A

A V T O R

I N A G R I C O L A

L E I P Z I G







DISSERTATIO  
DE  
LIBERIS  
FIDEICOMMISSO ONERATIS.

§. I.

DE FIDEICOMMISSIS IN GENERE.



uanquam nobis, de liberis fideicommissis oneratis acturis animus haud sit, originem fideicommissorum omniaque eorum principia ex Iure Romano conquirere, quoniam haec omnia et a scopo aliena nimis sunt, et iam iam ingenia occuparunt praestantissima: <sup>a)</sup> patitur tamen labor noster, ut ea hic praestruamus

A 2 mus

a) Inter multos recensere par sit CLAVD. CHIFLETIVM de fideicommiss. iure, qui libellus ab Ill. EVERH. OTTONE thesauri iuris Romani T. V. p. 817. insertus est. PHILIPP. KNIPSCHILDTII tractatum de fidei-

commissis familiae nobilium, von Stamm-Gütern. MARC. ANT. PEREGRINVM de fideicommissis. Illustriis. FRANCISC. LVD. Comitum de OETTINGEN in Diatriba de fideicommissis Helmst. 1734. FRID. WIDEBVR-

DEBVR-



mus paucissimis, quae ad intelligendam fideicommissariae hereditatis liberorumque ea oneratorum notionem necessaria esse videbantur. Fideicommissa, si eorum initia spectes, in legum elusiones et excogitata et adhibita sunt, quae temporis successu pepererunt legislationem a veteri iurisprudentiae forma recedentem, qua magna sed parum forte utilis accessio iurisprudentiae facta, quippe quae non solum molem legum, sed et litium vehementer auxit. Neque etiam vlla seges feracior in foro est, quam haec fideicommissorum, qua horrea iudicum et patronorum repleti videmus. Fideicommissum in *generali significatione* denotat, quidquid ex defuncti ultima voluntate verbis precariis declarata<sup>a)</sup>, ab ipsius successore alicui praestandum est. Quo sensu ab omnibus fideicommissi potest, qui defuncto ex ultima voluntate succedunt, siue sint heredes, siue successores singulares, vt legatarii. Quum vero vel hereditatis eiusue partis, vel rei singularis restitutio

DEBVRGIVM *de fideicomm. ac codicillorum origine, argumento inclinantis et mutatae reipublicae Romanae.* Halae 1731. IOH. CASP. HEIMBYRGII *iur. communis et Germanici differentias in doctrina de fideicommissis.* Ien. 1743. Nec non IOH. GOTTFRID. SIBERI *selecta capita fideicommiss. familiae.* Lipsiae 1743.

a) Praeclare eam in rem VLIPIANVS fideicommissum non ex rigore iuris proficisci ait, sed ex voluntate duci relinquentis. Vide eius *fragment. 25. §. 1.* apud

SCHVLTINGIVM *in iurispr. Anseiusiana* p. 660. Precaria verba sunt, *peto, volo, mando, deprecor, opto, cupio, iniungo, desidero, fideicommitto, §. ult. Instit. de sing. reb. per fideicomm. L. 2. C. Comm. de legatis. PAVL. L. IV. Sent. T. I. §. 6. VLIPIANVS in fragm.: Relinquo et commendo ex sententia PAVLI nullam fideicommissi pariunt actionem. Hodie post L. 2. C. Commun. de leg. et fideicomm. quaelibet verba fideicommissis voluntatem sufficienter exprimentia sufficiunt. Conf. SCHVLTING. l. c. p. 386. not. 17.*



fitutio per fideicommissum iniungi possit <sup>a)</sup>): Fideicommissorum in *uniuersalia* et *particularia* diuisionem inde natam esse constat. Nos quia IVSTINIANVS fideicommissa particularia in omnibus aequiparauit legatis, *L. 2. C. de legat. et fideicomm. §. 3. Instit. eod.* de fideicommissis uniuersalibus ac in specie illis loquimur, quae liberis iniunguntur praestanda. Est igitur fideicommissum uniuersale, quod et *fideicommissaria hereditas* appellatur in rubro et *pr. Inst. de fideicomm. heredit.* hereditas eiusue pars ex defuncti ultima voluntate precariis verbis declarata, alicui ab herede restituenda <sup>b)</sup>). Sed et fert vocis usus, ut ipsa ultima defuncti dispositio, qua hereditatis restitutionem iniungit, fideicommissi nomine veniat. Quando CHIFLETIVS <sup>c)</sup> fideicommissum vocat *voluntatis nostrae ultimae qualem qualem sententiam, ministerio alterius commissam*, nec indolem eius perspicue exponit, nec ea, quae uniuersali fideicommissio propria sunt. Qui fideicommissum relinquit, *fideicommittens*, heres vero, cui hereditatis restitutio iniungitur, *fiduciarius*, et cui restituenda est hereditas, *fideicommissarius* adpellatur <sup>d)</sup>). Quum fideicommissum hereditatem ac proinde rerum a defuncto relictarum uniuersitatem complectatur, consequens est, ut eo omnia bona, de quibus disponere potuit, omniaque iura, actiones et obligationes in fideicommissarium transire possint. *L. 14. §. fin. D. ad Sct. Trebell.* ut rogari queat fiduciarius heres, restituere hereditatem *L. all. §. 7. bona, uniuersam rem, cit. L. §. 8.*

A 3

patri-

a) §. 2. *Inst. de fideicomm. heredit. et princ. Instit. de singul. reb. per fideicomm. relictis.*

BRISSENO *de formul. 7. p. 668. seq.*

c) In libro laudato c. 6. in *thes. iur. rom. OTTONIS T. V.*

p. 780.

b) Formulas horum verborum discite ex PEREGRINO *de fideicommissis art. 5. et BARN.*

d) BERGER *in Oec. iur. p. 429. n. 3.*



patrimonium, facultates et quicquid habet testator, *L. 16. eod.* adeoque res tam mobiles quam immobiles, tam corporales quam incorporales, *L. 36. D. eod.* ut denique, si quis reliquerit per precaria verba *paupertatem suam*, fideicommissum vniuersale reliquisse censeatur, cum modestia testatorum patrimonium suum ita adpellare soleat. *L. 78. §. 12. D. eod.*

## §. II.

LIBERI QUID? AN IIS AEQVIPOLLEAT  
VOX *der Kinder?*

Ad liberorum significatum exponendum ducimur ipsa argumenti ratione: in quo curatius determinando et veteres iuris auctores diligentes deprehendimus. Adpellatione *liberorum* in sensu proprio omnes, qui *ab aliquo per generationem ex iustis nuptiis descendunt*, nepotes quoque et pronepotes ceterique qui ex his descendunt continentur *L. 220. D. de Verb. Sign.* Generationis *ex iustis nuptiis*, quae et ipsae liberorum quaerendorum causa iniri dicebantur, ratio habetur in liberorum adpellatione, non *patriae potestatis*: ideo enim inter eos *nepotem* quoque *ex filia* contineri, *DIVVS PIVS* rescriptit. *L. vlt. D. de pollicit.* Itaque liberorum proprio nomine naturales tantum et iusti, non etiam adoptiui exaudiuntur, non tantum ii, qui sunt in potestate, sed omnes, qui sui iuris sunt, siue virilis, siue feminini sexus sint, exue feminino sexu descendentes. *L. 56. §. vlt. D. de Verb. Sign.*<sup>a)</sup> Eadem est apud Graecos *τέκνων* significatio. Eadem quoque *natorum* adpellatio, quae ad nepotes extenditur,

a) BARN. BRISSONIVS *de Verb. signif. edit.* HEINECCIUS sub voce *liberi*. IAC. CVIACIUS ad *L. 56. et 225. D. de*

*Verb. Signif.* MARCVS VERTRANIVS MAVRVVS *de iure liberorum c. 42. in T. III. thes. iur. Rom.*



tur, ceu ait MODESTINVS in *L. 104. D. de V. S.* Contendebatur apud veteres, an qui ex trinepotibus nascerentur, liberorum nomine venirent? PAVLVVS in *L. 10. §. 7. D. de grad. et adfin.* vsque ad trinepotes *liberos*, vltra hos *posteriores* vocari scribit. Sed obtinuit CAII CASSII sententia, qui vt omnes in infinitum, etiam supra tritauum, parentes; ita *liberos* vltra trinepotem in infinitum dici censuit. *L. 4. §. 2. D. de in ius vocando.* VLPPIANVS in edicti *de in ius vocando* interpretatione *liberos* ait secundum CASSIVM, vt in parentibus, et vltra trinepotem accipimus. *L. 10. §. 5. D. de eod.* Angustior est, *filiorum filiarumque* significatio, *liberos* primi gradus tantum complectens. Eorum nomine nepotes non comprehenduntur, praecipue illis in casibus, in quibus non de commodo nepotum, sed de incommodo et grauamine iis imposito quaestio est, vt ex *§. ult. instit. qui testam. tut. dare poss. et L. 6. D. de testam. tutor.* intelligitur. Adpellationi liberorum non omnino respondet germanica vox *der Kinder*, ceu visum SCHILTERO <sup>a)</sup> et HARPPRECHT <sup>b)</sup>. Angustior est, et *liberos primi gradus*, seu natos ex nobis, in sensu proprio complectitur, id quod non solum origo vocis, quam habet a verbo *kennen, nasci* <sup>c)</sup>, sed et ab ea distincta adpellatio *der Kindeskind* comprobatur <sup>d)</sup>. Neque germanicae vocis significatum ex linguae latinae indole aestimare par est, quod faciunt, qui eum ex vi vocis *liberorum* definire contendunt.

## §. III.

a) *Exerc. III. §. 14.*b) *Vol. nov. II. Conf. 43. n. 10. et 103.*c) WACHTER in *Gloss. Germ. p. 838.* WEHNER in *Obs. select. sub voce Kinder.* SANDE *Dec. L. IV. t. 5. def. 10.*d) MEVIUS *ad Ius Lab. P. II. t. 1. art. 2. n. 28.* REINHARTHVS in *Obs. ad CHRISTINAEI Dec. Vol. III. obs. 31. et Vol. IV. Obs. 26.* DN. GRYPEN in *discept. for. p. 458. et 489. seq.*



FIDEICOMMITTITVR NON MINVS PER IN-  
IUNCTAM HEREDITATIS RESTITVTIO-  
NEM QVAM PER SVSTITV-  
TIONEM.

Liberi itaque fideicommissō vniuersali onerati censentur, si eis hereditatis eiusue partis restitutio a testatore iniuncta est. Is cui fit restitutio, locum liberorum institutorum subit, iisque re vera per fideicommissum substituitur. Sane in fideicommissō vniuersali re vera continetur substitutio fideicommissaria, siquidem haec fit in locum heredis instituti, cui hereditatis eiusue partis restitutio iniuncta est. Inde est, quod leges nostrae restitutionem hereditatis et substitutionem *promiscue* vsurpent. Euidētius hoc apparet ex specie, quam proponunt Impp. DIOCLETIANVS et MAXIMINIANVS, qua filii in testamento scripti rogati erant: *ut qui primus rebus humanis eximeretur, alteri portionem hereditatis restitueret.* Hanc mox *precariam* seu fideicommissariam *substitutionem*, mox *fideicommissum* vocant Impp. Nec mouet in contrarium discrimen, quod inter *merum fideicommissum* et *substitutionem fideicommissariam* intercedere existimat SCHILTERVS<sup>a)</sup>, quod in fideicommissō mero heres fideicommissarius e manibus fiduciarii hereditatem capiat, ita vt a nemine restituatur, sed defuncti heres eam immediate restituat moriens, transmittatque substituto. In vtroque casu eadem omnino obtinent. Siue heredi fiduciario restitutio hereditatis post mortem iniuncta sit, siue ei post mortem substitutio ex fideicommissō facta, vtroque casu, mediante fiduciario, fideicommissarius vel fideicommissarie substitutus

a) In *Exerc. XL. §. 44.* cuius CASP. HEIMBERG in *diff. cir. de fideicommiss. §. 15.* sententiam sequutus V. A. IOH.



stitutus hereditatem consequitur, quam moriens restituiffe cenferur, dum eam post mortem reliquit. Immo ex eo valere coepit substitutio fideicommissaria, quod fieri cenferetur per restitutionem hereditatis ab herede faciendam: cum alioquin directo non valeret. Quid, si substitutio fideicommissaria in diem facta sit, qui venit viuo herede instituto? Quis veniente die hereditatem immediate in fideicommissaria substitutum translata esse dixerit? Nemo non perspicit, hanc ei perinde ab herede instituto restituendam esse, ac si eam restituere, sine substitutionis formula esset rogatus.

## §. IV.

## DIFFERENTIA SIMVLTANEAЕ HEREDIS INSTITVTIONIS ET SVBSTITVTIONIS.

Fideicommissi itaque et substitutionis fideicommissariae rationem in eo positam esse apparet, *vt per eam heres institutus rogetur a testatore, vt earum rerum, quarum heres a se factus est, heredem faciat alterum, quem testator elegit, siue hic heredi instituto alias ab intestato successurus sit, nec ne.* Haud igitur difficulter fideicommissaria substitutio a simultanea plurium heredum institutione separari poterit, qua plures ad eorundem bonorum hereditatem vocati, coheredes fiunt. Si quis heredem ita scripserit: *TITIVS vna cum filiis suis heredes mihi sunt: IUSTINIANVS* eosdem pro coheredibus habet in *L. II. C. de impub. et aliis substit.* eo quod verba, *vna cum filiis*, aperte ostendant, testatorem eosdem ad hereditatem simul admisisse. Sed non solet semper ea mens esse eorum, qui alteri eiusue heredibus bona sua relinquunt, vt eosdem simul velint esse coheredes: quin potius eisdem subinde non nisi *ordine successorio* bona sua reliquisse videntur: ea enim mente saepenumero in negotiis inter viuos alteri eiusue heredibus bona conceduntur. Dicendum itaque

B est,



est, coheredes quidem habendos esse, quos testator vna cum herede instituto et nominato heredes scripsit, nisi ex idoneis coniecturis appareat, testatorem eosdem magis sibi inuicem substituere quam simul ad hereditatem vocare voluisse: sic enim testator minus sensisse, et plus verbis complexus esse videtur. Hanc coniecturam facimus, si quem testator nominatim instituit heredem, eiusque non minus descendentes generalibus verbis heredes scripsit, nec aperte definiuit, quod simul et vna cum herede nominato succedere debeant. Dum enim heredis nominati descendentes generatim ad successiorem vocat, dubium est, eosdemne cum illo simul, an illos ordine successorio ad hereditatem vocauerit. Quorum neutrum cum definiuerit, iustior praesumptio est, eum heredis sui nominati descendentes eo ordine, quo solent ei succedere ab intestato, scripsisse heredes, eosque heredi suo nominato fideicommissio substituuisse. Si quis ergo liberos suos, nominatim institutos, suosque nepotes generatim scripserit heredes, pater in hac specie legem charitatis, qua successiuum ordinem intelligunt interpretes, secutus atque voluisse censetur, ut liberi nominatim instituti post mortem hereditatem suis liberis, seu nepotibus, relinquunt. <sup>2)</sup> Elegans non minus species est, si quis CAIVM eiusue heredes et liberos, vel significantius, eiusdem heredes ex iustis nuptiis natos scripserit heredes, quam qui penitius perspexerit, nullum dubium est, quin in hac specie substitutionem fideicommissariam latere, simul sit visurus, quamuis ex verborum litterali sensu simultanea heredum institutio consequi videatur. Sicuti enim CAII liberi, ante ipsius mortem nec fieri nec adpellari possunt heredes, cum viuens heredes non habeat. L. 94. D. de acquir. et omit. heredit. ita institutio heredum CAII non nisi post mortem eius, qua demum liberi heredes futuri sunt, ut substitutio

<sup>2)</sup> FVSARIVS de substit. Quaest. 476. n. 4.



stitutio fideicommissaria valere potest. Intelliguntur ergo vocati heredes post mortem patris<sup>a)</sup>). In factō accidit, MEVIUM ex sorore filium CAIVM eiusque heredes liberosque hac formula scripsisse heredes: *Meiner Schwester Sohn CAIVM und dessen eheliche Erben und Kinder setze zu meinen Universal Erben ein.* Inde cum Illustri ICtorum Goettingensium Ordini proponeretur quaestio: vtrum MEVIUS per istam institutionem CAIVM eiusque liberos simul coheredes scripsisse, an hos magis CAIO per fideicommissum substituisse censendus sit? in hunc modum respondit:

*Ob nun wohl in den angeführten Erbeseinsetzungsworte, dem blossen Wortverstand nach, eine simultanea heredum institutio enthalten, und von dem proprio significato verborum ohne Ursack nicht abzuweichen ist, non enim aliter a significatione verborum recedi oportet, quam si manifestum est, aliter sensisse testatorem, L. 69. pr. D. de legat. 3. und daher in einer ähnlichen Formul: TITIVS vna cum filiis suis et SEMPRONIUS heredes mihi sunto,*

*L. II. C. de impub. et aliis substit.*

*diese Erklärung in den Rechten selbst angenommen, und im gedachten Fall TITIO und seinen Kindern zusammen ein Erbtheil zugeeignet worden, welches im gegenwärtigen Fall um so mehr eintreten mögte, als hier nicht ein Vater, sondern ein naber Verwandter testiret, welcher gegen seiner Schwester Sohn und Kinder gleiche Zuneigung gehabt, und daher einiger Rechtslehrer Meinung, welche in dem Fall, da ein Vater seine Kinder und Enkel zu Erben einsetzt, solches vor eine institutionem successivam auslegen, und dies ordinem charitatis nennen, hiebey nicht eintreten will, quando enim pater substituit*

B 2

liberis

a) BENED. CARPZOV. in iurisp. forens. P. III. Constit. 8. Def. 7. n. 4.



liberis vna cum nepotibus, tunc quidem ordine successiuo id fecisse videtur:

FVSARIVS *de substit. Qu. 476. n. 4.*

e contrario si vocantur fratres et eorum liberi, coniunctim censentur vocati,

*Idem l. c. n. 31.*

SVRDVS *Decis. 346. n. 4.*

*daber auch GOTHOFREDVS in not. ad cit. L. II. C. die Regel giebt, instituto patre vna cum liberis suis, vel simul cum liberis, vel cum liberis, vna cum parente liberi vocantur et admittuntur, wie denn auch CARPZOVIVS bey der successione transuersalium ein gleiches lehret, quod verius sit, liberos cum parentibus sub nomine collectiuo, copulatiue tamen vocatos, non ordine successiuo, sed coniunctim et simul ex aequis partibus propter vim copulae vocatos intelligi, videlicet vt virilem vnam portionem pater habeat, liberi vero aliam, cuiuscunque sint numeri, tanquam qui omnes vocati sint sub vno eodemque nomine collectiuo:*

CARPZOV *in iurispr. for. P. III. Const. 8. Def. 7. n. 1.*

*diesennach die vorgelegte Frage negatiue zu beantworten zu seyn scheint.*

*Dennoch und dieweil 1) die angeführten Lehrsätze alsdann einen billigen Abfall leiden, si ex verbis simul contraria testatoris voluntas appareat.*

CARPZOV. *l. c. n. 3.*

MENOCHIVS *L. IV. Praesumpt. 70.*

*und dann 2) in der obbenannten Erbeseinsetzung des CAII und seiner ehelichen Erben und Kinder die Worte, der ehelichen Erben, die Absicht des testatoris nicht undeutlich zu Tage legen, daß derselbe, die von seiner Schwester Sohn CAIO nachgelassene Erben dem CAIO substituiren, und sie also ordine successiuo zu seinen Erben machen wollen, anerwogen wie des*

CAII



**CAII** Kinder ehe nicht, als nach dessen Tode, dessen eheliche Erben werden können, cum viuens heredes non habet:

L. 94. D. de acquir. et omitt. heredit.

So auch die Erbeseinsetzung der ehelichen Erben des **CAII** ehe nicht, als nachdem sie **CAII** Erben worden, oder nach dessen Tode, nach Art der substitutionis fideicommissariae Kraft gewinnen kan, wie denn 3) aus solchem Grunde

CARPZOV. l. c. n. 4.

von dem gegenwärtigen Fall in terminis handelt, quod si cum fratre vocati essent liberi eius superuenientes vel saltim heredes, procul dubio ordine successiuo vocati censeantur; quia viuus heredes non habet. Intelliguntur ergo vocati heredes post mortem patris, darneben 4) diese Erklärung auf die praefunctionem sich gründet, das der Erblasser, welcher ordine charitatis seiner Schwester Sohn mehr geliebet als dessen Kinder, auch den darauf sich gründenden ordinem succedendi ab intestato in seinem Testament beybehalten wollen, und deshalb des **CAII** eheliche Erben und Kinder in zwiefacher Absicht mit zu Erben benannt, das einestheils im Fall **CAIUS** vor ihm versterben solte, dessen eheliche Erben auch seine Erben seyn, anderntheils nach **CAII** Tode dessen eheliche Erben das auf ihn vererbete Vermögen erlangen solten, wie denn sonst 5) und wenn der Erblasser des **CAII** Kinder zur simultanea successione mit ihm ziehen wollen, der Ausdruck, der ehelichen Erben, ohne Wirkung und Deutung seyn würde, in Ansehung, das seine Kinder bey seinem Leben unter diesem Nahmen nicht angedeutet werden können, dabergegen 6) die intendirte substitutio fideicommissaria daraus vielmehr zu schlicffen, das er des **CAII** Kinder unter der Eigenschaft als eheliche Erben zu seiner Erbschaft gezogen, folglich sie auch ehe nicht, als bis sie **CAII** eheliche Erben worden, dazu gelangen können, wie denn 7) solche im Rechtsverstande gemachte Auslegung in andern Fällen in den Rechten ganz bekant ist, und wenn in den



*Lebnsbriefen dem Lebnsmanne und dessen ehlichen Leibserben die Leben verliehn ist, solches anders nicht als ordine successiuo verstanden wird, diesem auch 8) der oben angeführte*

*L. II. C. de impub. et aliis substit.*

*nicht entgegen steht, indem der Ausdruck, TITIVS vna cum filiis sunt, den deutlichen Willen des testatoris de simultanea successione in sich fasset, welches aber in der in Frage gezogenen Formul nicht geschehen, und daher, wie in ratione prima decidendi angeführet worden, bey solchen Formeln auf coniecturas voluntatis et mentem testatoris zu sehen, und deshalb*

*CARPZOV und MENOCHIVS L. c.*

*nicht ohne Grund behaupten, das durch die Erbeseinsetzung eines Vaters und seiner Erben und Kinder eben so viel angedeutet wird, als wenn der Erblasser dem CAIO und dessen Familie seine Erbgüter hinterlassen, quando autem vocata est familia siue cognatio, illi qui sunt de familia, ordine successiuo vocati esse censentur:*

*KNIPSCHILD T de fideicom. famil. c. 8. n. 9.*

*Als sind wir der rechtlichen Meinung, das durch obgedachte Erbeseinsetzung des CAII und seiner ehlichen Erben und Kinder, diese dem CAIO nur in der That und nach dem Sinn des testatoris dergestalt substituiret worden, das des MEVII Erbschaft von ihm auf seine Erben und Kinder, so viel deren sodann vorhanden, verfallen solle. Deinde cum in eadem specie quaereretur, vtrum tantum CAII liberi ante MEVII testamentum nati, an vero post illud geniti et deinceps nascituri ipsa substitutione comprehenderentur? responsum est: comprehensos videri, tum ob generalem heredum liberorumque CAII institutionem, et parem MEVII erga singulos et vniuersos*



uerfos ex forore nepotes affectum, a) tum quod sub qualitate heredum C A I I ad successionem vocati sint, post C A I I vero mortem demum constare queat, quinam ipsius futuri sint heredes.

## §. V.

FIDEICOMMISSARIA SUBSTITVTIO IN  
DV B I O N O N P R A E S V M I T V R S E D  
D I R E C T A.

Ante fideicommissorum natales *directa* tantum substitutio *Romanis* cognita fuit, *obliqua* seu fideicommissaria ignorata. *Illä* in locum *deficientis scripti heredis*, haec in locum fit heredis, cui acquisitae hereditatis restitutio a testatore iniuncta est. Quamnam earum testator adhibuerit in testamento, non minimi momenti quaestio est, cum *directa* euanescat, simulac scriptus heres hereditatem adiit, b) fideicommissaria subsistat ob restitutionem hereditatis ab herede faciendam. Sed cum *obliqua* substitutio, praeterquam quod contra ius ciuile inualuerit, ob hanc ipsam restitutionem heredibus maximo oneri fit, ideoque ita onerare *testatorem voluisse* heredes suos, merito constare debeat: iusta est, quam in *dubiis* substitutionum *formulis* faciendam ius Canonicum praecipit, c) interpretatio, *directam substitutionem intelligendam*

a) HARPPRECHT in *Consult.* Vol. nov. P. II. *Cons.* 43. n. 110. 112. paritas affectionis, inquit, satis elicitur erga omnes, quando sunt omnes sub nomine collectiuo filiorum adpellati, ideoque semper inquirenda est principaliter testatoris affectio et voluntas, quae si fuerit erga omnes aequa-

lis, par etiam debet esse in successione conditio.

b) L. 5. C. de *impub. et aliis substit.*

c) C. 1. de *testam. in 6.* CHIFFLETIVS de *success.* c. 6. in *EV. OTTONIS thes. iur. Rom. T. V. p. 686.* PEREGRINVS de *fideicommiss.* art. 19. n. 3. MENOCHIVS



dam potius esse, quam obliquam, si modo directa verbis substitutionum et probabili voluntati testatoris non aduersetur. Si itaque testator ita dixerit: TITIVS heres esto: mortuo TITIO, SEMPRONIVS heres esto: hunc illi directo praefumitur substituisse, quamquam verba aequae ad hanc, ac ad obliquam referri posse videantur. Ratione verisimili interueniente, qua testatorem de fideicommissio sensisse appareat, huic eo magis standum, et substitutio pro obliqua accipienda est, <sup>a)</sup> cum voluntatis praecipua in interpretando testamento ratio sit habenda. Sic fideicommissariae substitutionis, iis qui in familia sunt factae, coniecturam dant verba, quibus testatorem de bonis in familia seruandis sollicitum fuisse apparet. <sup>b)</sup> Porro si testator verbis vsus sit, quae casum respiciunt, quo quis heres existit, de fideicommissaria substitutione sensisse censetur, siquidem haec praesumptio indoli huius substitutionis congruit. <sup>c)</sup> Vnde Pontifex dum pro directa interpretationem faciendam esse monet, mox addit, si et directa verbis substitutionis conueniat. <sup>d)</sup> Tandem si substitutio facta est in codicillis vel testamento iure codicillorum valente, non tam directa, quae codicillis dari nequit, quam potius fideicommissaria facta censetur. Etiam si enim verba substitutionis magis ad directam pertineant, ex indole tamen codicillorum, quae illam non admittunt, inflectenda sunt ad fideicommissariam. <sup>e)</sup> Inde est quod Pontifex obseruat; *directam*

CHIVS L. IV. Praesumpt. 66. n. 12.  
MEVIUS P. VII. Dec. 16. LEY-  
SER Sp. 362. Med. 1. 2. STRYK  
in V. M. T. III. p. 1053.  
a) MEVIUS P. IV. Dec. 181.  
P. VII. Dec. 17. STRYK de Caut.  
restam. c. 18. membr. 1. §. 5. LEY-  
SER Spec. 362. Medit. 2. GE.  
MELCH. DE LYDOLPH Obs.

Camer. Part. I. Obs. 40. p. 117.  
b) MEVIUS l. c. Dec. 16.  
c) E. IVSTI HENN. BOEH-  
MERI Consultat. et Decis. Tom.  
II. Resp. 698. 699.  
d) in cit. c. 1. de rest. in 6.  
e) L. 76. D. ad SC. Trebell.  
conf. B. BOEHMERI Consult. l.  
c. resp. 700.



rectam interdum ex causa ad fideicommissariam trahi. <sup>a)</sup> In his casibus saepenumero accidit, vt testator directam et fideicommissariam substitutionem verborum compendio completatur, si videlicet substitutionis verba non minus accommodata sunt vulgari, quam fideicommissariae substitutioni, id quod contingit, si ita sunt concepta, vt *temporis tractum* contineant, dum quis TITIO instituto SEMPRONIUM et SEMPRONII heredes substituit. <sup>b)</sup> Cum enim magnam veluti curam sustinendo, ne facile caducum fieret testamentum, SEMPRONII quoque heredes substituerit, quales non censentur, quam qui futuro demum tempore SEMPRONIO mortuo succedunt; id voluisse testator censetur, vt siue TITIVS heres non fiat, siue heres existat, SEMPRONIVS, eoque mortuo, eiusdem heredes hereditatem caperent. Itaque his verbis generatim conceptis inest fideicommissi interpretatio ex tacita defuncti voluntate: vt adeo SEMPRONIVS aut heredes eius non modo hereditatem ex directa substitutione adire possint, si TITIVS institutus heres non sit, sed et TITIO adeunte ac deinceps moriente desiderare, sibi ex fideicommissio restitui substituentis hereditatem. <sup>c)</sup> In eiusmodi casu competit substitutis electio, an repudiante herede scripto, ex directa substitutione ad hereditatem venire cupiant, an potius tanquam fideicommissarii cogere heredem institutum, vt adeat et restituat; si forte minus grauari sint

legatis

a) c. 1. de testam. in 6.

b) Quod exemplum excutit VOETIVS in Comment. ad D. de vulg. et pupill. substit. §. 15.

c) MENOCHIVS Libr. IV. Praesunt. 71. n. 10. seq. PEREGRINVS de fideicommiss. art. 28. n. 18. Aliud exemplum explicat ZACH. HYBERVS in Obs. rer.

for. Obs. 82. p. 369. si substitutio facta sit in casum, si TITIVS decesserit sine liberis, neque testator meminerit vllius expressae distinctionis, vtrum heres fiat nec ne: nam et tunc verborum compendio vtraque substitutio comprehenditur, vulgaris et fideicommissaria.

C



legatis tanquam fideicommissarii, quam tanquam directo sub-  
stituti L. 6. §. 5. D. ad Sc. Trebell.

## §. VI.

FIDEICOMMISSVM QVO MODO LIBERIS  
INIUNGATVR?

Ceterum vti fideicommissa non minus testamento quam  
codicillis reliquantur, sic et fideicommissum liberis a paren-  
tibus iniungi potest tam in *testamento*, quam in *codicillis* <sup>a)</sup>.  
Itaque et parentes ex constitutione *Iustiniana praesentium li-  
berorum fidei committere* possunt, quae fieri ab eisdem post  
mortem velint, sine vllis testibus solemnibusque, sola volun-  
tatis iisdem praesentibus facta declaratione. Quidquid iisdem  
praesentibus iniungat, siue sit vniuersitatis fideicommissum  
siue speciale, eius praestatione fidem, quam testator elegit,  
liberare obligantur, quoad ipsis salua sunt legitimae iura. Si  
quid sibi fideicommissum esse negant, eosdem vel iurisiuran-  
di religione, quod tale nihil audiuerint, euincere, vel si re-  
cusandum existimauerint sacramentum, praestare obligantur,  
quod fideicommissi nomine exigitur. <sup>b)</sup>

## §. VII.

DE FIDEICOMMISSO IN TESTAMENTO  
PARENTVM INTER LIBEROS.

In *testamento inter liberos* parentes fideicommissum re-  
ciprocum *inter eosdem* constituere, non vero eos fideicom-  
misso, *extraneis* praestando, onerare possunt, nisi hanc ani-  
mi sententiam coram quinque testibus declarauerint. Quid-  
quid

a) L. 13. §. 1. D. L. 2. et 22.  
C. de iure Codicill.

b) L. vlt. C. de fideicommiss. §.  
vlt. Inst. de fideicommiss. hered.



quid enim testamento inter solos liberos disponunt, ex eorundem voluntate legitime declarata, siue testium solemnitate vim inter liberos obtinet: siue pater, siue mater vel auus, aliique ascendentes ita inter suos liberos disponant, cum hoc et matribus et ascendentibus vtriusque naturae concesserit THEODOSIUS in *L. 21. §. 1. C. de testam. Nov. 107. in praes.* neque id a IVSTINIANO in *cit. Nov.* aut vsquam alibi mutatum appareat. Quod vero parentes in commodum alterius cuiuscunque, qui numero liberorum non est, disponunt, non valet nisi iusto testium numero adhibito. Id vero iam THEODOSIUS sanxit, ea quae intuitu extraneae personae in testamento inter liberos ordinata sunt, pro nullis haberi, <sup>a)</sup> IVSTINIANVS ea tunc demum rata haberi voluit, <sup>b)</sup> ubi parentes haec propria manu scripserint dixerintque *coram testibus* <sup>c)</sup> se ea omnia, quae intuitu aliorum ordinauerint, velle valere. Ex quo illud intelligitur, non nisi *testatoris declarationem coram testibus* desuper factam desiderari, *testium subscriptionem* non requiri <sup>d)</sup>. De numero testium, quem non definiuit IVSTINIANVS, ex iuris analogia statuendum est. Cum in omni vltima voluntate, excepto testamento, quinque testes adhibendos esse, leges fiant, <sup>e)</sup>

C 2

eundem

a) *L. 21. §. ult. C. de testam.*

b) *Nov. 107.*

c) Testium mentionem praetermittit, quae ex *Nov. 107.* desumta est *Auth. quod sine C. de testam.* et generatim decernit, in testamento inter liberos aliis legari et fideicommissum posse. Quod mouit SCHILTERVM in *Exercit. 38. §. 125.* vt sine testibus eiusmodi fideicommissum valere existimaret, cum tamen *cit. Authen-*

*rica* sensum *Nouellae* insufficienter exprimat, et auctoritatem *Nouellae* merito sequi oporteat. Sensum *Nouellae* docte excussit III. PFENDORFIVS in *Obs. iur. vnia. T. II. Obs. 31. §. 3.*

d) *Conf. Du. PFENDORF l. c. §. 4. BRVNEMANN in Comment. ad Cod. p. 704. n. 18. STRYK de caut. testam. c. 10. §. 24.*

e) *L. ult. C. de Codicill.*



eundem numerum et a IVSTINIANO intelligi eo certius infertur, cum de testibus in *ultima voluntate* adhibendis, qua *legata et fideicommissa* constituuntur, quaeratur. Neque enim *probationis* gratia testes desiderare potuit Imperator, siquidem *tabulae* a parentibus scriptae plenae, maxime inter liberos, fidem efficiunt. *Solemnitatis* ergo causa, cuius nomine testes in extremo iudicio exigi solent, eosdem a parentibus in fauorem *extraneorum* inter liberos testantibus et fidei committentibus requisivit IVSTINIANVS. Ex quibus iudicium de eorum ferri potest sententia <sup>a)</sup> qui generalia IVSTINIANI verba de duobus testibus accipiunt, moti L. 12. D. de testib. Vbi numerus testium non adicitur, etiam duo sufficiunt, pluralis enim elocutio duorum numero contenta est. Quae dispositio, cum ad testes, *probationis gratia* requisitos, pertineat, aliena omnino est tum *generatim* ab ultimis voluntatibus, tum *speciatim* a iudicio extremo *parentum inter liberos*, quod ex ipso *instrumento* a parentibus scripto subscripto-ue, vim probandi plenam habet, nec auxilio duorum testium indiget.

## §. VIII.

## FIDEICOMMISSVM, SVPERSTITIS FILII NEPOTIBVS, RELINQVI POTEST IN TESTAMENTO PARENTVM.

Quaeri hoc loco commode potest, vtrum parentes inter liberos testantes, *nepotibus* fideicommissum relinquere queant

a) Hanc defendunt CARPZOV. P. III. c. 4. Def. 20. BERGER in Oecon. iur. L. II. r. 4. not. 5. LEYSERVS in Medit. ad D. Sp. 9. M. 6. et Sp. 367. M. 6. MEVIUS in Comment. ad Ius Lub. P. II. L. 1. art. 1. n. 34. eique ex usu forensi colorem ad-

ferre cupiunt, de quo tamen recte existimavit STRYKIVS, ei vim nullam ex doctorum auctoritate tribuendum esse, cum non horum opinionibus, sed rationum auctoritate pugnandum et iudicandum sit.



queant sine solemnitate? Inter *nepotes praedefunctorum liberorum* parentes ita disponere posse, vix in dubium vocant interpretes; inter *nepotes superstitem liberorum* id negari a non nullis solet. <sup>a)</sup> Nos generatim defendimus, parentes inter nepotes ex filiis filiabusue tam praedefunctis, quam adhuc supersticibus, sine omni testium solemnitate valide disponere, et in eorum gratiam fideicommittere posse. <sup>b)</sup> *Principio* ratio introducti testamenti parentum inter liberos in eo continetur, quod *pietatis et reuerentiae liberorum* pars sit, agnoscere et tueri voluntates parentum, licet minus solemnes. Inde dispositiones parentum inter liberos *solis nixae radicibus voluntatis* vim obtinere dicuntur inter liberos, <sup>c)</sup> eaque ratio non minus ad primi gradus, quam ulteriorum graduum liberos pertinet. *Deinde* omnibus *ascendentibus utriusque naturae*, seu sexus, ius a THEODOSIO datum est, inter liberos sine solemnitate testium disponendi <sup>d)</sup>. Iure ergo suo minus solemniter disponit auus, dum in fauorem nepotis ex filio superstite fideicommissum facit. *Denique* huic minus solemniter testamento generatim *inter liberos* vim tribuunt leges, et THEODOSIUS, ex imperfecto testamento voluntatem defuncti tenere, ait, inter *solos liberos*. <sup>e)</sup> Liberos adpellatione vero Romanis omnes descendentes filios filiasue, *nepotes, pronepotes et abnepotes* venire constat

C 3

(§. II.)

a) HARPRECHT *ad ff. 3. et 4. Instit. de testam. ordin. n. 104. seq. Dn. PUFENDORF l. c. Obseru. 50. p. 121.*

b) Ita sentiunt LAVTERBACH *in Coll. theor. pract. L. XXIX. tit. I. §. 26.* CARPL. *in iurispr. for. P. III. C. 4. Def. 16.* SANDIUS *L. IV. c. 1. §. 6.*

STRYCK *de Caut. testam. c. 10. §. 10.* HARTM. PISTOR *Qu. iur. L. 1. Qu. 4. n. 16.* et SIM. VLR. PISTOR *in Addit. Lit. T.*

c) *L. 1. C. Theod. de familia hereditate.*

d) *L. 21. §. 1. C. de testam. et Nou. 107. pr.*

e) *L. 21. C. de testam.*



(§. II.) Tandem in testamento parentum inter liberos non nisi ubi intuitu *extraneae personae* aliquid disponitur, iuris solemnia adhibenda sunt. Extraneorum nomine veniunt, *qui non sunt ex liberis*. Liberis videlicet opponuntur extraneae personae, ut in verbis *L. 21. C. de testam. si vero in huiusmodi voluntate liberis alia sit mixta extranea persona*, nec non in *Nou. 107.* Nepotes ergo siue ex defuncto, siue ex superstite filio filiae pro extraneis haberi nequeunt. Sed videmus obuerti, *extraneorum* censu habendos esse, qui defuncto parenti *proxime non succedunt*, in eorumque numerum ideo nepotes referendos esse, quod viuis parentibus auo non succedant. Verum enim vero in multiplici extraneorum heredum significatu animaduerti semper oportet, quibus opponantur extranei, ad eorum significatum definiendum. In successione ab intestato extraneos adpellare par est omnes, qui non vocantur ad eandem. Dum vero de personis extraneis in testamento inter liberos quaeritur, eorum, qui ab intestato succedunt vel non succedunt, ratio non habetur, sed eorum quos reuerentia vocat ad agnoscendam voluntatem parentum, eorum, inquam, inter quos patri, matri ceterisque ascendentibus vtriusque sexus datum est ius sine solemnitate disponendi. Qui horum, hoc est, liberorum numero non sunt, extranei vocantur, liberis eo nomine oppositi. Neque aduersae sententiae patrocinatur *L. 26. C. fam. hercisc.* cuius verba apponere iuuat: *Inter omnes diu taxat heredes suos, qui ex quolibet venientes gradu, tamen pares videntur esse, vel emancipatos quos praetor ad successionem vocat: siue coeptum neque impletum testamentum vel codicillus seu epistola parentis esse memoretur, siue quocunque alio modo scripturae quibuscunque verbis vel iudiciis inueniantur relictæ, iudicio familiae herciscundae, licet ab intestato ad successionem liberi vocentur, seruato Senatusconsulti auxilio, defuncti dispositio custodiatur,*  
*etiam*



etiam si solemnitate legum huiusmodi dispositio fuerit destituta. Ex hac lege alii illud colligunt, rationem priuilegiatae dispositionis in proxima successione ab intestato collocari, indeque pares heredes ex quolibet gradu venientes eos demum esse nepotes, qui in parentis iam defuncti locum iure repraesentationis transeuntes, ad aui successione vocantur, inter hos solos vero valere testamentum inter liberos. Sed obseruandum est in *cit. lege* non tam de testamento parentum inter liberos agi, quam de *diuisione* parentum inter liberos *ab intestato succedentes*, qua videlicet pater *cogitatione futurae successione officium arbitri diuidendae hereditatis praeueniendo*, vt eleganter ait DIOCLETIANVS in *L. 21. eod. tit.* nonnullis liberis certa bona assignat diuisionemque init, sequendam ab arbitro familiae diuidendae causa dato, prout idem ex *L. 16. et 21. C. eod. tit.* intelligitur, ex quibus duabus legibus et maxime ex priori interpolatam legem nostram existimauit IAC. GOTHOFREDVS<sup>a)</sup>. Ideo enim I) in lege nostra dicitur inter heredes suos in *iudicio familiae heriscundae* custodiendam esse patris voluntatem, idque II) fieri oportere, *etiamsi ab intestato liberi ad successionem vocentur*: quod addit Imperator ideo, vt tolleret dubitationem, an inter successores ab intestato iudicium defuncti in familiae diuidendae iudicio sequendum sit: quod sequi alioquin non solemus. Denique III) Imperator de liberis loquitur ab intestato succedentibus, tam *suis*, quam *emancipatis*, quos praetor ad *successionem vocat*. Quid vero opus fuisset *emancipatis* ex *edicto praetoris* vindicare successionem, si ex testamento inter liberos delata esset hereditas. Atque ex eo IV) ratio intelligitur, quare Imperator de heredibus suis disponat, *qui ex quolibet venientes gradu tamen pares videntur*, quae verba et  
glossa

a) In *Comment. ad Cod. Theod. Tit. 1. p. 223.*



glossa interpretatur de nepotibus, patre prius defuncto, vna cum filiis testatoris aequali iure succedentibus. Horum ideo meminit Imperator, quod auo succedant ab intestato, et de diuisione bonorum inter eos, qui parentibus ab intestato succedunt, ex iudicio paterno facienda sermo sit. Haec euidentius illustrant integra *Constitutionis CONSTANTINIM.* ex qua *cit. L. 26.* desumpta est, verba: *Quam ob rem cum filiis ac nepotibus CIVILI IVRE vel AVXILIO PRAETORIS, ut suis heredibus SVCCESSTIO deferatur, etiamsi inceptum neque impletum testamentum esse memoretur, vel si a subtilitate verborum, vel solemnitate iuris inanis scriptura esse dicatur, considerari specialiter voluntatem placet, et obsecundari protenus, cum res DIVIDENTVR, nec retineri amplius, quam quod singulorum personis detegatur adscriptum, ut et memoria defuncti non violetur parentis, et occasiones litium dirimantur.* Quum itaque in lege nostra de dispositione paterna, qua liberis vel *iure civili* vel *iure praetorio* succedentibus, bona quaedam per modum *diuisionis* assignantur, agatur, in qua utique ponere oportebat filios nepotesue ab intestato succedentes, seu pares in successione et aequale succedendi ius habentes: consequens est, ab ea argumentum non valere ad *testamentum* parentum inter liberos, quo parentibus ius datum est, liberos instituendi heredes, et inter eos disponendi. Namque parentes duplici iure fruuntur, iure videlicet *diuisionem* bonorum inter heredes suos sine solemnitate ineundi, non minus, quam inter liberos suos *testamentum* condendi. In *simplici diuisione* non scribuntur sed ponuntur heredes, et parentes tantum liberis assignant, quam quisque partem ab intestato capere debeat; a) eaque ideo inter filios nepotesue ab intestato succedentes,

a) *Vid. WERNHERI obs. for. P. V. obs. 236.*



cedentes, prout disponit *cit. L. 26. ineunda est.* <sup>a)</sup> Vbi vero *testamentum inter liberos* faciunt parentes, eo iure, quo quilibet testator inter extraneos, vtuntur, vt prout inter liberos, salua eorum legitima, legassint, ita ius sit, et inter illos quoque hos, qui ad successiōem ab intestato non vocantur, nepotes nepesue superstitum liberorum simul heredes scribere, in eorumque fauorem fideicommittere possint. Quod cum parentibus liceat in solemnī, cur non licuerit in minus solemnī? In hoc parentibus iuris *solemnitates* in eorum gratiam remissae sunt, *ius disponendi* vero nec circumscriptum, nec ad liberos tantum ab intestato venientes adstrictum est.

## §. IX.

IN QVIBVS BONIS LIBERI FIDEICOMMISSO  
GRAVARI POSSINT.

Ceterum parentes liberos suos ratione omnium bonorum, iisdem praeter legitimam a parentibus relictorum, fideicommissio onerare possunt. Haec liberae parentum dispositioni subsunt, in eorumque arbitrio positum est, qua lege illis eadem, et an sub lege fideicommissi relinquere velint. <sup>b)</sup> Quoniam vero *legitima* liberis ex legis dispositione debita <sup>c)</sup>

a) In specie, qua mater, praeterita filia superstita, inter nepotes bona diuiserat, recte responderunt Icti Francofurtenses apud STRYCKIUM l. c. §. 13. dispositionem maternam non valere; cum 1) ob *defectum heredis institutionis* non esset testamentum matris inter liberos, et 2) tamquam *diuisio* materna inter eosdem valere non posset, cum haec

a paren-  
poneret heredes ab *intestato* venientes, quales non sunt *nepotes ex filia superstita*.

b) *Nov. CXVII. c. 1.*

c) *L. 36. C. §. 2. de inoff. testam. L. 7. pr. D. de bon. damn. c. 6. X. de testam. GAIL. Obseruat. Lib. 1. Obs. 122. MYNSINGER Cent. V. Obs. 43. CARP. NOV. P. II. C. 43. Def. 3. n. 3.*

D



a parentum arbitrio et beneficio non pendet: eadem fideicommissio onerari, hoc est, ea lege relinqui nequit, ut vel post mortem vel post tempus aliis restituatur<sup>a)</sup>: sic enim liberorum ius de ea disponendi immittitur et tollitur. IVSTINIANO vero<sup>b)</sup> omnis dispositio *modum* et *grauamen* introducens, quo iura legitimae immittuntur, improbat, eaque *pro non scripta* habetur. Legitimam ergo, seu fideicommissio non obnoxiam, liberi ex fideicommissio omnium bonorum iure suo detrahunt. Quae vim fideicommissi in legitima *generatim* impugnant rationes, non minus pertinent ad *fideicommissum reciprocum*, qua liberi, ut qui eorum prior decesserit, hereditatem omnem una cum legitima superstiti restituat, rogantur. Itaque nec fideicommissio reciproco legitimam subici posse, sed si factum sit, eam a reliquis bonis fideicommissariis iure detrahi existimamus. Id ZENONI Imperatori placuisse ex *L. 6. C. ad Sc. Trebell.* perspicitur. Ait Imperator: *Iubemus, quotiens pater, vel mater, filio seu filia, filii vel filia ex aequis, vel inaequis partibus heredibus institutis, inuicem seu simpliciter quosdam ex his, aut quendam rogauerit, qui prior sine liberis decesserit, portionem hereditatis suae superstiti seu superstitibus restituere: ut omnibus modis retenta quarta pro auctoritate Trebelliani Sc. non per imputationem reddituum (licet hoc testator rogauerit vel iusserit) sed de ipsis rebus hereditariis, dodrans restituatur.* Ut videlicet liberi quartam Trebellianicam non minus in *simplici*, quam *reciproco* fideicommissio non ex fructuum imputatione, sed ex bonorum substantia haberent, sanxit Imperator, eo quod in *Trebellianicam* imputaretur *legitima*. Quae ergo

a) *L. 30. L. 32. L. 36. C. de Dec. 15. MANZIUS de testam. inoff. testam. Auth. Nouissima C. Tit. 12. Qu. 44.*  
*cod. tit. VINNIUS Select. Qu. L. 1. 6. 22, MEYRVS P. IV.*

b) *L. 32. C. de inoff. testam.*



ergo ibi de *detrabenda Trebellianica* cauentur non minus ad *legitimam* quae illa continetur, pertinent. Hac Zenoniana Constitutione omnem illam quaestionem confici luculenter docuit *Dn. PVFFENDORF*, quam alioquin varie respondent *ICTI*, cum alii legitimam ex reciproco liberorum fideicommissio detrahi posse negent <sup>a)</sup> alii affirmant <sup>b)</sup>. Multos in adversam sententiam mouisse videtur Constitutio *ALEXANDRI* in *L. 12. C. de inoff. testam.* qua id tractari censent, reciprocum fideicommissum pro *grauamine in legitima* haberi non posse, eo quod integra hereditas ex fideicommissio aequae ad vnum, ac ad alterum peruenire possit, ac proinde si quid ex eo sit incommodi, illud omne ex spe maioris lucri et commodi, ex portione coheredis per fideicommissariam substitutionem acquirendi, largiter compensetur. Verum in *cit. L. de eo non agi*, ex eius verbis, curatius expensis, perspicue apparet <sup>c)</sup>. Nam calumniosam tantum *inofficiosi actionem*

D 2

nem

a) *MENOCHII Conf. 196. T. I. n. 16. PETRA de fideicommiss. Qu. 15. n. 105. FACHINAEVS Controu. L. V. c. 20. DION. GOTHOFREDVS in not. ad L. 12. C. de inoff. testam. BERLICH Dec. 110. PEREZ ad Cod. tit. de inoff. testam. n. 42. Perill. DESENCKENBERG in deductio-  
ne in causa STEINCALLENFELS contra BECHTOLSHEIM p. 15. et in dissert. de grauamine in legitima cap. II.*

b) *BRVNEMANN ad L. 12. Cod. de inoff. testam. KLOCK Tom. III. Conf. 104. n. 96. FVSARIVS de substit. P. II. Quaest.*

*296. n. 23. STRYK de Success. ab intest. diss. VII. c. 1. th. 24. HARPPRECHT de iur. ded. duas quart. §. 59. seq. KNIPSCHILDT de fideicommiss. famil. illustr. c. 6. n. 15.*

c) Verba *cit. L. 12. C. de inoff. testam.* haec sunt: *Si pater puellae, filio ex semisse, ipsa autem ex triente, et uxore ex reliquo sextante scriptis heredibus, fidei filiorum commisit, ut si quis eorum intra viginti quinque annos aetatis decederet, superstitionibus portionem suam restitueret: praeterea uxori, ut id, quod ex causa hereditatis ad eam peruenisset, filiis post*



*nem* a liberis institui Imperator definit, qui iudicium paternum *ob fideicommissum reciprocum* impugnare contendebant. Ad hanc querelam excludendam non id modo suffecerat, quod alter filiorum *ex semisse*, alter *ex triente* institutus, ideoque *ultra legitimam* honoratus esset, sed et quod ex reciproca fideicommissaria substitutione alterius portio ad alterum peruenire possët. Posteriolem rationem non eo nomine adiecit Imperator, ac si substitutio reciproca pro grauamine non esset habenda <sup>a</sup>). Neque enim *de hoc*, sed de eo, *an danda esset inofficiosi actio*, quaerebatur. Vt videlicet haec querela eo magis appareret calumniosa, ista ratione vitur, quod et heredi lucrum adhuc ex fideicommissio esset sperandum. De Trebellianicae et quae ei inerat, legitimae detractione nihil addit; neque enim ad quaestionem pertinebat, neque ambigi posse videbatur, quin liberis, iure ceterorum heredum, competeret.

## §. X.

DE FIDEICOMMISSO IN LEGITIMA VI  
CAVTELAE SOCINI.

Adhibito consilio, quod dedit *SOCINVS Iunior*, <sup>b</sup>) legitima fideicommissio onerari potest, dum parens liberos in here-

*post mortem suam restituerit, fideicommissit: calumniosam inofficiosi actionem aduersus iustum iudicium testatoris instituere non debetis: cum ex huiusmodi fideicommissaria restitutione tam matris, quam fratris eius portio ad eam poterat peruenire.*

a) Frustra ergo quaeritur, an *IUSTINIANVS* in *L. 32. C. de inoff. testam.* constitutionem *ALEXANDRI* in *cit. L. 12.* abrogare

voluerit, de quo alioquin in hoc argumento contendunt interpretes, quorum sententias et argumenta recenset *Dn. de SENCKENBERG* in *diff. de grauamine in legitima c. II. §. 6. seq.* Neque enim apud *ALEXANDRUM* quaeritur vel deciditur, reciprocum fideicommissum grauamen legitimae esse, vel non esse.

b) in *Consult. 122. n. 12. et in Consult. 122. in sec. dub.*



hereditate vniuersa vel saltim parte eius, legitima maiori, ea lege instituit heredes, vt illam definito tempore alteri restituant, vel si restituere nolint, legitimam duntaxat portionem capiant. Huius cautelae vis in eo consistit, quod liberis *electio* salua et integra sit, vtrum hereditatem cum onere in legitima, an solam legitimam sine onere habere malint. Saluam ergo et sine onere accipiunt, si eam sola contenti esse velint, legitimam: \*) quin vero, quod ipsis in altero casu imposi-

D 3 tum

a) Cautionem SOCINI iniquitatis accusauit, eamque inutilem et pro non scripta habendam esse censuit CHRIST. IVD. CRELLIUS de *Cautela SOCINI et quando illa inutilis sit*: tum quod onus filiis impositum quoad totam hereditatem, iure civili pro non adiecto habeatur in *L. 32. C. de inoff. testam.* nisi expresse portio legitimae sine onere fuerit relicta; tum quod filius ad onus aliquod contra leges scriptas suscipiendum, per illam cogatur, ideoque haec in *fraudem legis* inuenta sit, iuri vero improbentur conditiones, quae supremis iudiciis in fraudem legis et contra bonos mores infererentur *L. 7. et p. D. de Condit. Instir.* Sed his rationibus non mouemur. IVSTINIANVS in *cit. L. 32.* illud duntaxat grauamen, quo *iura legitimae imminuantur*, pro non scripto habet: ex quo colligi nequit, onus institutioni heredis simpliciter adiectum quoad reli-

quam hereditatem pro non scripto haberi, et hereditatem totam filio pure relictam videri. Deinde quod filius vi istius cautelae onus in legitima suscipere cogatur, non fit contra leges absolute prohibentes. In *commodum liberorum* leges iubent, legitimam sine onere relinqui. Quum iuri in ipsorum fauorem tantum introducto renuntiare fas sit: tum eidem renuntiant, cum ex alterutro, quod placet, eligunt, et hereditatem omnem accipiunt, id quod declinare, et a reliqua hereditatis parte exclusi, legitimam tantum portionem sine omni fideicommissio et grauamine habere poterant. Itaque parentes, consilium SOCINI sequentes, in fraudem legis non agunt, cum saluam et sine onere liberis relinquunt, si eam accipere magis placuerit, legitimam. Contra vero propitio iure agunt, dum quod de reliquis bonis Imperator in *Nov. 117. c. 1.* ipsis dedit, dispo-



tum est, *onus legitima*e sponte post parentum mortem subire possint, ambigendum non est. Id sane in simili specie probatur IVSTINIANO, <sup>a)</sup> filio conquerendi locum esse, neganti, qui post patris obitum specialiter consensum adcommodauerat, quod contentus *relieta bonorum parte* in legitimam imputanda, de eo, *quod deest*, nullam mouere vellet quaestionem. Ceterum quamuis in cautione SOCINI alternatiua contineatur heredis institutio: non necessario tamen adhibenda est *propositio expresse alternatiua*, sed testatorem in extrema dispositione declarare sufficit, vt, si filius grauius agnoscere nolit, reliqua hereditate priuandus sit: <sup>b)</sup> Namque hoc ipso saluam relinquit legitimam, in qua eundem tacite scripsit heredem, dum eum antea vel ex assie, vel in maiori hereditatis parte instituit heredem. BERGERVS <sup>c)</sup> itaque effectum cautelae SOCINI in eo consistere recte existimat, quod in *sola legitima* filius institutus esse intelligatur, si renuit parere fideicommittentis voluntati. Neque igitur exigit expressam et conditionatam in legitima institutionem, vt si filius non acquiescat paternae voluntati, in sola legitima pure institutus esse debeat. Quae cum in generali heredis institutione contineatur, eam parens per clausulam priuatoriam sustulisse non praesumitur, cum comminatio priuandae hereditatis de legitima, qua filium pater priuare nequit, non sit interpretanda, et expropter voluntatem suam legibus conformare voluisse praesumatur. Ex quo efficitur, clausulam priuatoriam vi ipsa continere cautelam SOCINI. Sic pronuntiarunt A. 1715. ICi Giessenses in caussa STRYBEN tra

disponendi iure vtuntur, et ab eisdem liberos excludunt, si voluntati non obsecundauerint.

a) L. 33. §. 2. C. de inoffic. testament.

b) STRYK. de Caut. testam. c. 17. membr. 3. §. 27. HEINECCIUS *Rechtliche Gutachten* p. 313.

c) In *Oecon. iur.* L. II. t. 4. §. 15. n. 9.



tra HARENCE existimantes, cautelam his verbis contineri: *Wo aber meine Kinder und Kindes Kinder auch Nachkommen einen oder mehr Puncta und Clausulen dieses Testaments nicht halten, oder in Erbes oder Kindes Nahmen mehr fordern würden, als ihnen vermacht, der oder dieselbe sollen alles dessen, so ihnen vermacht ist, und sonst gebühren mögte, verlustig seyn.* Vult tamen GROLLMANNVS<sup>a)</sup> non habere vim cautelae SOCINI, si testator liberos ultra debitam portionem honorauerit, et vt quidquid ex ipsius voluntate perceperint, vna cum legitima CAIO per fideicommissum restituant, sub poena praenationis iniunxerit.

## §. XI.

DE EXPRESSO ET TACITO LIBERORVM  
FIDEICOMMISSO.

Ceterum prout hereditatis eiusue partis restitutio liberis *expressis verbis* iniungitur, vel ea ex testatoris dispositione, ducto argumento, colligitur, fideicommissum vel *expressum* est vel *tacitum*.<sup>b)</sup> Exemplum taciti fideicommissi luculenter sic explicat PAVLVS in L. 74. D. ad SCt. Trebell. *Qui filium et filiam habebat, testamentum fecit, et ita de filia sua cauerat: ἐντέλλομαι σοι μὴ διατίθεσθαι, πρὶν τέκνα σοι γένεσθαι*, id est, *mando tibi non testari, donec liberi tibi sint*: pronuntiauit Imperator, fideicommissum ex hac scriptura deberi, quasi per hoc, quod prohibuisset eam testari, petuisset, vt fratrem suum heredem faceret: sic enim accipiendam eam scri-

piu-

a) In *diff. de Cautela SOCI-*  
NI §. 20.

b) *Exempla fideicommissi ta-*  
citi ex Iure Rom. colligit VOE-  
TIVS in *Comment. ad Pand. libr.*

XXXVI. tit. I. §. 10. CHIFLE-  
TIVS de iure fideicommiss. libr.  
II. cap. 18. et 20. BRUNNE-  
MANNVS in *Libr. 17. D. ad SCt.*  
*Trebell.*



pturam; ac si hereditatem suam rogasset eam restituere. Vbi vero dispositio testatoris ambigua est, <sup>a)</sup> ex eaque, ducto iusto ratiocinio, restitutio fideicommissaria colligi nequit: nec fideicommissum tacite iniunctum videtur. PAPI-  
NIO propofita fuerat formula: <sup>b)</sup> *Mando filiae meae pro salute sollicitus ipsius, vt quoad liberos tollat, testamentum non faciat: ita enim poterit sine periculo viuere.* Quae dispositio cum consilii, quale non obligat, rationem habeat; eadem nec testator heredem obligare voluisse censetur, vt praetermissio testamento hereditatem successoribus ab intestato restituat. <sup>c)</sup> Itaque respondit ICtus: *fideicommissaria l. edita-tem sorori coheredi non videri relicta: quod non de pecunia sua testari, sed obtentu consilii, derogare iuri, testamentum fieri prohibendo voluit.*

## §. XII.

FIDEICOMMISSVM LIBERIS SVB TACITA CON-  
DITIO NE RELICTVM CENSETVR, SI  
LIBERI NON SEQVANTVR.

Vti aliis, ita liberis pure sub conditione et in diem fi-  
deicommittitur. Coniectura pietatis est; quam acutissimi  
ingenii

a) Si in verbis nulla ambigui-  
tas est, non debet admitti volun-  
tatis quaestio. *L. 25. §. 1. D. de Le-  
gat. III.* CHIFLETIVS *de iu-  
re fideicomm. L. II. c. 18.*

b) *In L. 77. §. 24. D. de Le-  
gat. II.*

c) Rationes expositae euin-  
cunt, nullam inter vtramque ex-  
ciratam legem intercedere pug-  
nam. Paulo aliter vtramque legem nec inconcinne in concor-  
diam reuocat G. A. STRVVIVS

*in diss. de fideicommissis vniuers.*  
*§. 5. censetque verba in L. 74.*  
*pr. ad Sct. Trebell. simpliciter*  
*prolata facere fideicommissum,*  
*eo quod in gratiam eorum pro-*  
*lata censentur, qui ad successio-*  
*nem vocati ab intestato, iisque*  
*hac ratione fideicommissaria he-*  
*reditas relicta videatur: secus*  
*vero esse, cum testator vt in cit.*  
*L. 77. §. 24. D. de legat. II. ex-*  
*presse adiecit, se id mandare in*  
*gratiam filiae heredis.*



ingenii Iustus PAPINIANVS in responsis suis dedit, quod si quis filium suum heredem instituit, et restitutionis post mortem oneri subegit, non aliter hoc videatur disposuisse, nisi cum filius eius sine sobole vitam suam reliquerit<sup>a)</sup> eaque coniectura non modo IVSTINIANO probatur, sed et ad filiam nepotem vel neptem, pronepotem vel proneptem, vel aliam deinceps posteritatem extenditur.<sup>b)</sup> Conditio ergo: si sine liberis decesserint, in omnibus fideicommissis, quibus ascendentes liberos suos onerant, et non in patris modo et aui et proau, sed et matris et auiae et proauiae dispositionibus vltimis ex legis auctoritate subintelligitur.<sup>c)</sup> Praesumpta testatoris voluntas, quae maxime in fideicommissis valet,<sup>d)</sup> huic sententiae suffragatur, cum pro pietate, quae est erga descendentes, testator fideicommissario descendentes ex liberis suis praefere voluisse praesumatur: ac proinde eius voluntati proxime satisfiat, si bona quae reliquit, instituti heredis descendentes potius, quam fideicommissarius, vniuersali successionis titulo acquirant.

## §. XIII.

FIDEICOMMISSVM TALE EXTINGVITVR, SI  
HEREDEM SVPERVIXERINT LIBERI.

Fideicommissum sub conditione, si sine liberis decesserit, relictum, siue haec nominatim adiecta sit, siue vi legis subintelligatur, extinguitur, si heres fiduciarius, liberis relictis, decessit: deficit enim conditio. Et satis omnino est, super-

a) L. 102. D. de Condit. et  
Demonstr. L. 6. C. de Instit. et  
Substit. L. 30. C. de fideicommiss.

b) Cit. L. 30. C. de fideicommiss.

c) NIC. CHR. LYNCKERI  
diff. de fideicommiss. vniuers. c. 10.  
G. A. STRVVIVS de fideicommiss.  
vniuers. §. 20. 21.

d) L. 95. D. de Legat. III.

E



*superuixisse liberos*, siue sint filii filiaeue, nepotes neptesue. <sup>a)</sup> Nec opus est, extitisse *heredes*, siquidem sensus verborum, *si sine liberis decesserint*, non fert, vt intelligantur de liberis heredibus. Ita respondit MARCIANVS: in L. 114. §. 13. de Legat. I. *Cum erit rogatus, si sine liberis decesserit, per fideicommissum restituere: conditio defecisse videbitur, si patri superuixerint liberi: nec quaeritur, an heredes extiterint.* Quid vero, si mortuo herede grauato, liberi adhuc in vtero sint, an conditio defecisse videbitur? Cum nascituri pro natis habeantur, quoties de ipsorum fauore agitur; <sup>b)</sup> *non videtur sine liberis decessisse, qui praegnantem uxorem reliquit*, <sup>c)</sup> dummodo postea viuus infans fuerit editus. Et quamquam liberi, qui heredi instituto superstites fuerint, deinceps paulo post decedant, fideicommissum tamen semel interiisse sufficit, quod heres relicta prole decesserit. Et ad hunc casum ob eandem rationem responsum MARCIANI pertinere videtur, qui fideicommissum non debere existimauit, etiamsi *heredes non extiterint*: satis enim est conditionem defecisse, vt fideicommissum non debeat sub eadem relictum. Neque fideicommissum, ob deficientem conditionem semel extincto, ex solis voluntatis praesumptae coniecturis noua vis tribui potest. Coniectura est, testatorem, qui heredi, si sine liberis decesserit, fideicommissum iniunxerit, idem saluum integrumue seruare voluisse, si, quos superstites reliquit, liberi mox post eius mortem decesserint. Non coniecturis vero, sed *legitima dispositione* nouum constituitur fideicommissum: idque constitutum est, vbi extinctum reuiuiscere dicimus. Coniecturae voluntatis ambiguo

a) L. 1. C. de condition. inseriis. IAC. CUIACIUS ad L. 114. §. 13. D. de legat. I. T. III. Oper. p. 1186.

b) L. 7. D. de statu homin.

c) L. 187. D. de R. I. et L. 140. D. de V. S.



quo sermoni interpretando inseruiunt: vbi autem in verbis nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæstio. <sup>a)</sup> Sic A. 1747. iudicauit Illustris Iureconsultorum Goettingensium Ordo: actionem ad fideicommissum petendum non competere fideicommissario, qui fideicommissum ob deficientem conditionem, *si sine liberis*, extinctum, ex variis coniecturis reuiuixisse contendebat, liberis ab herede instituto relictis non multo post impuberibus omnibus defunctis.

## §. XIV.

QVAE VERBA FIDEICOMMISSVM  
INFERANT.

Quamquam in fideicommissio constituendo nulla verborum solemnitas desideretur, sed defuncti voluntas in illis maxime valeat: fideicommittentis voluntas iis verbis significanda est, ex quibus eum voluisse apparet, vt *hereditas eiusue pars alteri restituatur*: in iniuncta enim eius restitutione omnis fideicommissorum ratio vertitur. Itaque ad illud inducendum verba enuntiatiua sufficiunt: immo verba, quae magis *consilium* quam necessitatem hereditatem restituendi exprimunt, inter liberos vim fideicommissi habent, si eo directa sunt, vt vni ex *testatoris descendentes* hereditas restituatur. Dum enim consilio heredi dicto, descendentes prospectum voluit, id pro pietatis coniectura *vehementer voluisse*, et verbis, consilium inferentibus, vsus minus scripsisse et plus voluisse videtur. Hanc voluntatis coniecturam inter liberos sequitur VLPPIANVS qui, *verba*, inquit, *te fili rogo, vt praedia, quae ad te peruenerint, pro tua diligentia diligas, et curam*  
E 2 eorum

a) L. 88. ff. G. D. de Legat. *magis dilecto. c. 6. §. 1.* HARTM.  
II. HARPRECHT *Conf. 50. n.* PISTOR *Quaest. iur. L. III. Qu.*  
532. LAUTERBACH *in diff. de 30. n. 21. seq.*



eorum agas, ut possint ad filios tuos peruenire, licet non satis exprimunt fideicommissum, sed magis consilium, quam necessitatem relinquendi: tamen ea praedia in nepotibus post mortem patris eorum vim fideicommissi videntur continere. <sup>a)</sup> Vbi eiusmodi consilium non in descendentium, sed in aliorum heredum ab intestato fauorem liberis heredibus institutis datum, vel illud extraneo heredi datum est; cessat coniectura, qua consilium pro voluntatis dispositione accipitur, ideoque fideicommissum non insert. Exemplum huc pertinet, quod ex PAPINIANI responsis in L. 77. §. 24. de Legat. II. supra §. XI. excitauimus. Inde iudicium ferri potest de formula: *er hätte das Vertrauen, die Kinder würden das Haus nicht von der Familie kommen lassen*, quam BERGERVS fideicommissum non inducere arbitratur, quod requirantur verba dispositiua de prohibita alienatione. Nihil efficit haec ratio in fideicommissio inter liberos. Nobis formula ex expositis principiis ita accipienda esse videtur, vt cum non consilium modo sed et fiduciam in herede positam exprimat, quoad in familia restatoris descendentibus supersunt, fideicommissum inferat, ad fideicommissum vero inter reliquos ex familia constituendum non sufficiat. Ceterum verba perspicua esse oportet, vt voluntatem fideicommittentis luculenter expriment. Quoties verba duplicem significatum admittunt, praefendus est sensus fideicommissi exclusiuus. <sup>b)</sup> Vnde si reus ex fideicommissio ab altero conuentus, excipit, verba praetensi fideicommissi non complecti restitutionis, de quo controuersia est, casum, ille contra quoscunque tam diu securus est, quoad vsque ex aduerso non probatur. <sup>c)</sup> Pro-

a) L. 11. §. 9. D. de Legat. III.

Qu. 688. n. 35. HARPPRECHT

b) HARPPRECHT Vol. nov.

c. l. n. 473. MENOCHIVS Conf.

Conf. 43. n. 48. Conf. 7. n. 202.

982. Dn. LEYSER Spec. 404.

VSCHY'S Concl. 261. FVSA-

c) HARPPRECHT l. c. Con-

cl. 43. n. 13.

cl. 43. n. 46. 54.



batio enim eius, an fideicommissum sit constitutum nec ne, iniungenda est fideicommissum alleganti, eaque cum sic defungi oportet, ut fideicommissum actu constitutum esse, ex fideicommittentis perspicua voluntatis dicta declaratione euincat, seu prout doctores loqui amant, ut probet per posse et esse, hoc est, non ut probet praesumptiue, sed vere per argumenta necessario concludentia. \*)

## §. XV.

## FIDEICOMMISSVM A LIBERIS RELICTVM

## AN AD NEPOTES PERTINEAT?

Quoniam fideicommissum fideicommittentis iusta voluntatis declaratione constituitur: hanc solam in interpretando sequi oportet, quatenus ex verbis fideicommissi et probabili fideicommittentis mente erui potest. Vnde ultra terminos a testatore praescriptos non minus debet extendi quam ad personas non nominatas nec verbis fideicommissorum comprehensas produci: Si ergo a *liberis* fideicommissum relictum est, an ad *liberos ulteriorum graduum* sit extendendum? quaestio est. Si in Latio sententia ferenda esset, ad eosdem producendum esse, iure responderetur, eo quod *liberorum* appellatione *nepotes* et qui ab iisdem descendunt, contineantur (§. II.) Sed inter Germanos in fideicommissis usurpare solemne est vocem *der Kinder*, ad eos significandos comparatam, qui a parentibus proxime descendunt; quam non omnino convenire cum voce Romana *liberorum* supra observauimus §. II. Dicendum ergo fideicommissum, quod testa-

E 3

tor

a) PEREGRINVS de fidei-  
comm. art. 1. n. 26. MARPVRG.  
Conf. 25. n. 28. 29. HERTIVS  
Vol. 1. Respons. 8. n. 10. MAN-

TICA de Coniect. Vlr. volunt. L.  
VII. c. 1. n. 46. LYDOLF Symph.  
Vol. I. Conf. 43. p. 1104.



tor iniunxit filiis et filiabus, *seinen Kindern*, non pertinere ad nepotes *seinen Kindeskindern*, nisi testatorem aliud sensisse, eademque appellatione hoc intellexisse manifestum sit.<sup>a)</sup> Id enim non fert istius vocis ex genio linguae nostrae propria significatio, et non minus, hanc ex peregrinae linguae indole definire, par est, ac vocem liberorum ex voce Teutonica *der Kinder*. Ita responderunt Icti Goettingenses apud REINHARTHVM<sup>b)</sup> qui et hanc quaestionem in eruditissimis ad CHRISTINAEVM observationibus docte tractavit.

## §. XVI.

## DE LIBERORVM IVRIBVS EX FIDEICOMMISSO IN GENERE.

Liberorum, fideicommissorum, eadem iura eademque obligationes sunt, ac *heredum fiduciariorum*, nisi ubi eadem aliter definita legibus esse manifestum sit. Sic enim a genere ad speciem ducitur argumentum, salvis iis, quae huic fideicommissorum speciei propria sunt. Ex quo et illud intelligitur, eadem non minus *iisdem fiduciariis heredibus* ad iura sua persequenda, quam *aduersus eosdem* ad fideicommissa praestanda remedia competere, quae fiduciariis heredibus et in eosdem iure prodita sunt.

## §. XVII.

## DE IVRE DEDUCENDI LEGITIMAM ET TREBELLIANICAM.

Iure fiduciariorum heredum vtuntur liberi, si fideicommissum vniuersali ultra dodrantem onerati, quartam Trebellianicam

a) L. 69. §. 1. D. de Legat. III.

b) In Obs. ad CHRISTINAEI Dec. T. III. Obs. 31. Conf. T. IV. Obs. 26. Dn. GRYPEN in Discept. For. p. 458. et 489.

PEREGRINVS l. c. art. 1. n. 28. art. 29. n. 33. PETRA Quaes. 5. n. 60. seq. CHRIST. HENR. BERGERVS in Select. fideicommiss. capit. qu. 1.



nicam auctoritate SCti detrahunt. Sed in hanc imputatur, quae liberis praecipua esse debet, *legitima hereditatis portio*, cum imputentur omnia, quae heres quocunque titulo habet ex iudicio *defuncti*.<sup>a)</sup> Hoc discriminis inter liberos et ceteros heredes fiduciarios intercedit, quod cum alioquin in Trebellianicae ratione ineunda ponantur *fructus* ex bonis, quae extra quartam sunt, percepti, liberi hoc praecipuum habeant, quod quartam non ex imputatione reddituum sed ex ipsa *bonorum substantia* capiant.<sup>b)</sup> Itaque liberi secundum ius antiquum solam *Trebellianicam*<sup>c)</sup> quae legitimam continet, vel ex iure nouo<sup>d)</sup> *legitimam* a IVSTINIANO auctam, quatenus Trebellianicam absorbet, ex fideicommissio deducunt. Portionem ergo legitimam et quartam Trebellianicam simul detrahere iure civili nequeunt. Sed dum in hac quaestione tractanda veteres ICti Bononienses in diuersas partes abierunt: contraria apud Pontifices ex MARTINI ICti auctoritate praeualuit sententia, vtramque posse deduci, quam firmant INNOCENTIUS III. et GREGORIUS IX. PP. in celebratis capitulis 16. et 18. X. de *Testam. legitimam* liberis praecipuam esse volunt, ceu *portionem iure Naturae debitam*, in qua grauari fideicommissio non poterint; *Trebellianicam* insuper vindicant, *quod et quilibet extraneus restitutione grauatus eam deducere potuisset*. Vtramque

a) L. 91. D. ad L. Falc. In fideicommissaria hereditate restituenda, siue legatum vel fideicommissum datum sit heredi, siue praecipere, vel deducere vel retinere iustus est: in quartam id ei imputatur.

b) L. 18. §. 1. L. 22. §. 2. D. ad Scf. Trebell.

c) L. 10. C. ad Leg. Falc. L. 24. C. Famil. herisc. PEREZ ad Cod. L. VI. t. 49. n. 11. HARPPRECHT de iure deduc. duas quartas. CHIFLETIUS de Portion. c. 13. SCHILTERI Exerc. XL. §. 16. PUFFENDORF Obs. for. T. II. Obs. 82.

d) Nov. I. c. 1. §. 1.



que ergo ex diuersa causa liberis deberi, et illam quidem a liberis, *qua talibus*, et hanc ab eis, *qua extraneis*, detrahendam esse censent. Quae rationes euincunt luculenter, dispositionem iuris Canonici ad fideicommissum *purum* non minus quam *conditionatum* et *in diem dilatum* pertinere. Quamquam enim species, in excitationis capitulis propositae, *conditionatum* et *in diem dilatum* fideicommissum referant; ad hoc tamen nec Pontificis *deciso* adstricta, nec *decisionis rationes* ex alterutrius indole, sed ex iis principiis repetitae sunt, quae *generatim fideicommissis liberorum* conueniunt: vt ratio idonea nulla appareat, quare dispositio iuris Canonici de vtraque portione simul detrahenda ad fideicommissum *conditionatum* vel *in diem dilatum* adstringenda, eique locus in puro fideicommissio negandus sit. Iuri Canonico ergo aduersatur eorum sententia, qui in fideicommissio puro liberis tantum legitimae, quatenus Trebellianicam absorbet, detractionem permittunt: quorum leuidensia argumenta Dn. LEYSERVS excussit. Et cum causa liberorum grauatorum in foris Germaniae ex iure Canonico peroretur; non interpretationis error Doctorum, sed verior iuris Canonici sententia sequenda est, vt adeo liberis detrahere legitimam et Trebellianicam hodie liceat <sup>a)</sup> siue ab eisdem *sub die vel conditione*, siue *pure* fideicommissum relictum. <sup>b)</sup> Quod liberis vniuersim datum est, idem quoque ad *nepotes* pertinet, cum eodem iure, quo liberi, *legitimam*, et ex fideicommissio, tamquam fiduciarii heredes, *Trebellianicam* retineant. Ceterum liberi hoc iure sic vtuntur, vt statim, mortuo patre, deducere possint

a) STRYK *de Caut. Testam.*  
c. 21. membr. 1. §. 16. BERGER  
*Oeconom. iur. L. II. t. 4. §. 34.*  
not. 2.

b) *Conf. Dn. PUFFEN-*  
DORF *Obseru. T. II. Obs. 82. §.*  
3. LEYSER *Sp. 405. Medit. 5. B.*  
BOEHMERVS *in not. ad C. 16.*  
et 18. X. *de testam.*



possint legitimam, ac deinde, impleta conditione vel veniente die, tempore restitutionis faciendae, Trebellianicam. <sup>a)</sup>

## §. XVIII.

IVS VTRAMQUE QUARTAM DETRAHENDI  
AD QUOSCUNQUE HEREDES  
TRANSMITTITUR.

Quod ius est liberorum fideicommissio grauatorum legitimam et Trebellianicam suam detrahendi, idem ad eorum heredes transit, si forte morte praeventi ipsi eodem usi non sunt. Cum enim liberi ius condicendi id, quod legitimae deest, non minus quam ipsam legitimam etiam sine agnitione ad heredes transmittant *L. 34. de inoff. testam.* idem quoque de iure detrahendi legitimam dicendum. Accedit, quod et illud emolumentum, quod auctoritate *Scii* retinere poterant, eorum heredibus tribuatur in *L. 10. C. ad Leg. Falc.* qua in lege sub nomine *Falcidiae*, ut fere fieri saepius solet, *Trebellianica* intelligitur. <sup>b)</sup> Cum ergo, quod liberis grauatis datum est, ius Trebellianicam, quae legitimam continebat, detrahendi in eorum heredes quoscunque iure Ciuili transmittatur: in eosdem quoque, quod liberis iure Canonico indultum est, ius vtramque portionem simul detrahendi pari ratione transfertur. Id praeterea vult ratio iuris perfecte acquisiti, quod in heredes transit: idque probatur Pontifici,

qui

a) HERTIVS in *T. II. Decif.*  
587. n. 4. 5. Dec. 904. n. 2. ME-  
VIVS in *P. VII. Dec. 19. n. 7.*  
HARPPRECHT *de iure ded. du-*  
*as quartas c. 3. th. 50.* STRV-  
VII *Exerc. 36. §. 30.* WERN-  
HER *P. II. Obs. 548.*

b) CARPZOV. *Iurispr. for.*  
*P. III. C. 1. Def. 21. n. ult.*  
WERNHER *Observ. for. P. I.*  
*Obs. 95. p. 88.* HARPPRECHT  
*l. c. §. 51.* FRANTZKIVS *ad tit.*  
*D. de inoff. test. n. 54.* RIT-  
TERSIVSIVS in *Diff. iur. Civ.*  
*et Can. L. IV. c. 9.*

F



qui et heredis grauati *heredibus* vtramque quartam deducendi ius permisit. <sup>a)</sup>

## §. XIX.

DEDUCTIONEM TREBELLIANICAE PATER  
INTER LIBEROS PROHIBERE  
POTEST.

Quod est fideicommittentium ius, vt possint heredibus detractione Trebellianicae interdicere, <sup>b)</sup> idem est patris in fideicommissio a liberis relicto, quoad his legitima vel ex ipso fideicommissio, vel iure detractionis salua est. Quoniam enim parentes de reliquis bonis, praeter legitimam, pro suo arbitrio disponere possunt: <sup>c)</sup> iure suo cauent, vt liberi, legitima contenti, reliqua bona omnia sine vltiori detractione restituunt. Id vero non minus rationibus iuris Canonici exacte conuenit. Pontifex in *c. 18. X. de testam.* liberis emolumentum Trebellianicae praeter legitimam ideo indulget, quod *illud quilibet extraneus restitutione grauatus deducere possit.* Cum ergo liberorum iura in Trebellianicam deducenda ex iure ceterorum heredum fiduciariorum aestimet: liberis, patre prohibente, nullum ius est Trebellianicam detrahendi, cum ob eandem prohibitionem nec aliis heredibus fiduciariis ius detrahendi competat. Atque hoc iure hodie vtimur. <sup>d)</sup>

Sunt

a) *c. 16. X. de testament. Conf.*  
HARPPRECHT l. c. §. 50.

b) Iure autem nouo testator detractionem Falcidiae et, ad eius exemplum, Trebellianicae prohibere potest: *Nov. n. c. 2. §. 2.*

c) SCHILLER *Ex. XL. §. 23.* HARPPRECHT *loc. cit.* MÜLLER. *in tit. ad Scd. Trebell.*

§. 18. VINNIUS *in Select. iur. Quaest. L. II. c. 29.* WERNER *Observ. for. P. IV. Observ. 7. n. 127.* DN. PUFFENDORF *Obs. for. T. II. Obs. 84.* REINHARTH *Obs. ad CHRISTIANAEVM T. IV. Obs. 47.* LEYSER *Sp. 405. Med. 5.*  
d) BERGER *in Selectis fidei- comun. capit. Qu. 4.*



Sunt tamen, qui prohibitionis paternae vim in nepotibus quidem, non vero in liberis primi gradus agnoscunt <sup>a)</sup>: maxime quod Imp. ZENO in *L. 6. C. ad Scr. Trebell.* liberis primi gradus omnibus modis saluam esse Trebellianicam in rebus hereditariis decreuerit, nec eam per redituum imputationem diminui passus sit, licet hoc pater testator iusserit. Patrem ergo, cum minuere Trebellianicam nequeat, eam multo minus penitus tollere posse concludunt, ob *Reg. 53. de R. I. in 6.* <sup>b)</sup> Sed lex ZENONIS de Trebellianica disponit, in quam legitima imputatur, eademque continetur. Quaestio ad eum calum pertinet, quo liberis, praeter Trebellianicam, portionem legitimam seorsim deducere licet, uti licet ex iuris Canonici principiis. Tum enim iura legitimae non imminuuntur, quando testator Trebellianicam detrahi prohibet.

## §. XX.

AN LIBERI NEGLECTO INVENTARIO  
TREBELLIANICAM AMITTANT?

Quaestum saepius est, vtrum liberi fideicommissio grauati ius Trebellianicam detrahendi amittant, si inuentarium non fecerint. <sup>c)</sup> Iam olim obseruauit DESID. HERALDVS, <sup>d)</sup> in hoc argumento non solum Doctorum sententias tantopere inter se pugnare, sed et decreta supremarum curiarum. Recensum amplissimum opinionum et DD. varie

F 2.

sentien-

a) VOETIUS in *D. ad Scr. Trebell. §. 57.* SANDE *Decis. Fris. L. IV. t. 7. defm. 5.*

b) VOETIUS *l. c.*

c) Fuere, qui liberos ob neglectum inuentarium etiam legitima priuandos esse existimarunt, quos recenset HARPPRECHT

in *diff. de iure deduc. duas quartas §. 105.* quorum sententiam confutauit WESTENBERG in *diff. de portione legitima cap. 5. §. 10. seqq.*

d) *De auctoritate rer. indicat. L. III. c. 2. §. 13.*



sentientium dederunt HARPPECHT, <sup>a)</sup> HERTIVS, <sup>b)</sup> CHRISTINAEVS, <sup>c)</sup> REINHARTHV. <sup>d)</sup> Et verius est, iurisque Romani principiis magis conuenit, heredem fiduciarium ob non confectum inuentarium quarta Trebellianica non esse priuandum. Illud principio obseruandum, deesse iuris Romani sanctionem, quae in heredem fiduciarium hanc poenam decernat. Deinde quae pro ea adstruenda adferuntur, argumenta ad priuationem *quartae Falcidiae* ob non confectum inuentarium pertinent. Etiam si *Trebellianica* Falcidiae nomine saepius veniat, neque tamen hoc generatim dicendum est, sed rationes intercedere oportet, ex quibus sub *Falcidiae* appellatione *Trebellianicam* venire appareat. In *Nov. l. c. 1.* quae de amittenda Falcidia sancit, de Falcidia *proprie* sic dicta, nec non de *legatis* et *fideicommissis particularibus* sermo est, cuius sanctionem ad Trebellianicam extendere non minus par est, ac poenas ad diuersas species producere. Neque ad propositam quaestionem pertinet *MODESTINI* sententia: *beneficio legis Falcidiae indignus esse videtur, qui id egerit, vt fideicommissum interdicat.* <sup>e)</sup> Ei enim qui id egit, vt fideicommissum interdicat, qui celando lacerandoue codicillos interuertere contendit fideicommissum, non omnino similis est, qui negligit vel non conficit inuentarium. Ponas, dolum interuenire et inter reliquas fraudes, ad interuertendum fideicommissum comparatas, heredem quoque omittere inuentarium: tum vero ex alio capite ius ei dicitur, et ex dolo, vbi probatus fuerit, indignus beneficio quartae Trebellianicae ex sententia *MODESTINI* iudicandus est. Denique quod non minimum momentum facit

a) *l. c. §. 105.*

b) *De effectibus non confecti inuentarii Sect. II §. 3.*

c) *Vol. IV. Dec. 51. n. 3. sq.*

d) *In Obs. ad CHRISTINAEVM Vol. IV. Obs. 45.*

e) *L. 59. D. ad Leg. Falc.*



facit in discernendis Falcidiae et Trebellianicae iuribus, recte obseruauit HERTIVS, <sup>a)</sup> inuentarii beneficium in commodum et fauorem heredis fiduciarii prorsus introductum non esse, sed *heredi directo* ideo datum, vt loco deliberationis, an hereditas *soluendo* sit, et an magis expediat *hereditatem adire* nec ne, aduersus creditores plenissimam consequeretur securitatem. Heredis fiduciarii nulla est eius rei deliberatio: ad hereditatem enim adeundam et restituendam ex SCto *obligatur*. Et licet obaeratam eo animo, vt restitueret, adierit hereditatem; ad id tantum, quod accepit restituendum, obligatur, hereditariis actionibus, quae ei et in eum dantur, ei et in eum competentibus, cui hereditas ex fideicommissio restituta est. Cum ergo rationes introducti beneficii inuentarii in herede fiduciario cessent cessant quoque poenae illis dictae, quorum ex commodo beneficium inuentarii datum est. Atque hanc sententiam alteri in Summis Imperii Tribunalibus non minus quam vsu Germaniae palmam praeripere docent GAILIVS, <sup>b)</sup> MYNSINGERVS, <sup>c)</sup> LAVTERBACH, <sup>d)</sup> HERTIVS, <sup>e)</sup> et *Illustr. SAM. DE COCCEII*. <sup>f)</sup> Ceterum cum ex dissentientium opinione <sup>g)</sup> qui heredes liberosque fideicommissio grauatos ob neglectum inuentarium iacturam quartae incurrere existimant, vsus fori subinde incertus fiat: cautela est, vt, confecto inuentario, sibi prospiciant. Et interest quoque eorum, quibus spes ex fideicommissio quaesita est, vt rerum omnium fideicommissio subiectarum curent confici inuentarium, in quo describantur omnia mobilia, immobilia, iura, istorumque omnium qualitas et quantitas pre-

F 3

tium-

a) *l. c. Sect. II. §. 3.*b) *Lib. II. Obs. 38. n. 13.*c) *Cent. III. Obs. 60.*d) *De inuentario heredis th. vlt.*e) *l. c. §. 3.*f) *In Iure Controv. L. XXXIX.**t. 8. Qu. 5. p. 309.*g) *Conf. HARPPRECHT l.**c. th. 105. STRYK de Caut. test.**c. 22. membr. 2. §. 10. Dn. PVE-**FENDORF in Observ. iur. vniy.**T. I. Obs. 147.*



tiumque designetur. <sup>a)</sup> Et pretium quoque consignare par est rerum fideicommissio subiectarum <sup>b)</sup>, maxime earum, quae seruando seruari nequeunt, cum earum pretium a fiduciario restituendum sit, <sup>c)</sup> adeo ut si res tempore perituras non alienauerit, ad restitutionem teneatur. <sup>d)</sup> Eo refero instrumentum fundi *das Vieb- und Feld-Inuentarium*. Quamquam enim illud in corporibus consistit: dantur tamen ad numerum, quoniam tantumdem, non idem corpus restituendum est. <sup>e)</sup>

## § XXI.

QUATENVS LIBERI A CAUTIONE FIDEI-  
COMMISSARIA IMMUNES SINT.

In ceteris iuribus, quae liberorum fideicommissio grauatorum praecipua sunt, immunitatem habemus a *cautione fideicommissorum seruandorum* liberis primi gradus ex ZENONIS constitutione datam, si ab illis fideicommissum sub conditione vel in diem in fauorem reliquorum fideicommittentis *descendentium* relictum est. Ceteris enim heredibus fiduciariis hanc cautionem, qua in hereditate, veniente die vel conditione, restituenda dolum malum adfuturum esse, satisfactio fit, iure com-  
muni

a) STRYK *de Caut. Testam. C.*  
21. *Membr. 1. §. 12.* FVSARIVS *de*  
*substit. Qu. 512.*

b) *Idem l. c. n. 14.*

c) VOETIUS *in D. ad Scf.*  
*Trebell. §. 63.* IO. PETR. THIE-  
LE *de restitut. hereditatis fideic.*  
*tb. 32.* SCHWEDER *de alienatio-*  
*ne bonorum fideicommissio obnoxio-*  
*rum tb. 31.*

d) Quando tempore restitutionis bona mobilia fideicommissio obnoxia reperiuntur, quae seruando seruari solent, deperdita tamen sunt naturarum, casu aut vi, vel con-

sumta sunt sine culpa grauati; eorum non est habenda ratio, atque probare sufficit, tantum tempus esse discursum, quo verosimiliter potuerint corrumpi, et tunc non sunt restituenda. Si culpa heredis fiduciarii interierunt, ad earum aestimationem tenetur, cum easdem suis sumtibus reparare, conseruare et colere debeat. FVSARIVS *de substit. Qu. 624. n. 6.* HARPPRECHT *Resp. 83. n. 137.*

e) BRENDL *de usufructu rei fungibilis §. 12. 13.*



muni imponi satis notum est, <sup>a)</sup> ZENONEM, ut ita confiteretur, mouisse videtur coniectura voluntatis parentum, quod non praesumerentur, filios filiasque cautionis oneri subiicere voluisse. Satisfactionis difficultates effecerant, ut ex utilitate publica esse veteribus iam visum sit, si fideicommittenti permitteretur cuilibet heredi fiduciario remittere, quae voluntatis eius tuendae causa introductae sunt, satisfactiones. <sup>b)</sup> Quod onus vero extraneo heredi remittere solenne erat: id ex probabili patris matrisque voluntate liberis remisit ZENO. Aduuat coniecturam, quod Imperator voluntatis parentum praecipuam rationem habuerit, et si *satisfactionem exigi testator specialiter disposuerit*, filios filiasque ei praestandae obnoxios declarauerit. Ipsam a cautione fideicommissaria immunitatem indulxit Imperator tum *quotiens pater vel mater filio seu filia, filiis vel filiabus ex aequis vel inaequis partibus heredibus institutis, inuicem seu simpliciter quosdam ex his, aut quendam rogauerit, qui prior sine liberis decesserit, portionem hereditatis suae superstiti seu superstitis restituere: tum si rogauerit eos easque nepotibus vel neptibus, pronepotibus vel proneptibus suis ac deinceps restituere hereditatem.* In his, quos vocat, *supradictis casibus fideicommissorum seruandorum satisfactionem cessare iussit: idque denique non ulterius, quam in his personis et casibus oportere produci sanxit.* In qua indulgentia cum Imperator ZENO ad casus supradictos, quos ex ipsius constitutione recensuimus, se referat, euidentis est, immunes a cautione fideicommissaria esse filios filiasque, si *liberis suis, defuncti nepotibus et deinceps,*

a) L. 1. §. 10. et seq. D. ut lo-  
gat. seu fideicomm. seruand. caus.  
Conf. Consilia ICorum Hallensium  
T. I. L. 1. Consil. 26. n. 8. HORN  
Resp. Class. VII. n. 27. p. 407. B.  
IVST. HENN. BOEHMERI  
Conf. et Dec. T. II. Resp. 874. n. 77.

b) L. 2. C. ut in poss. leg. et fi-  
deic. seruand. caus. cum ab eo et  
extraneos heredes, subinde libera-  
rent fideicommittentes, idque his  
in extraneo herede permittere ex  
publica utilitate, ob satisfactionis vi-  
delicet difficultatem, visum erat.



ceps, hereditatem restituere rogati sunt, immunes esse eosdem, si fideicommissio *reciproco* sunt grauati, immunes esse, si ab eis simpliciter, vt vnus saltem alteri superstiti eiusue heredibus bona restituat, fideicommissum est relictum, breuiter immunes ab ea esse filios filiasue, si inter eos pater materue in *fauorem descendentium* suorum fideicommissum constituerunt. Haec ergo immunitas data tantum filiis filiabusue heredibus institutis, non etiam nepotibus heredibus institutis aliisue liberis, cum ad alias personas vi expressae constitutionis non sit extendenda, quam quibus eam Imperator indulgit. Ceterum ex perspicua excitatae constitutionis expositione apparet, filios filiasue non modo liberari a cautione nepotibus, hoc est, liberis suis, sed et a cautione fratribus eiusdem videlicet fideicommittentis filijs praestanda.<sup>a)</sup> Quod ergo CUIACIUS,<sup>b)</sup> RITTERSHVSIVS,<sup>c)</sup> PEREZIUS,<sup>d)</sup> immunitatem a cautione tantum in casu, quo nepotibus restituenda est hereditas, agnoscant, in eo Zenonianam constitutionem iusto nimis restringunt, cum *inter supradictos casus*, in quibus cautioni locum non esse decernit Imperator, ab eodem relatum sit fideicommissum, quo liberi inuicem vel simpliciter vnus alteri hereditatem restituere rogati sunt. Reliquis dubiis abunde satisfecit IO. HENR. BERGERVS in *Selectis fideicommissorum Capit. Quaest. VIII.*


<sup>a)</sup> In vtroque casu cautioni locum esse probant WISSENBACHIVS ad *l. 6. C. ad SC. Trebell.* ERVNNEMANNVS *ad cit. l. 6. n. 10* STRYK in *consiliis Hallensibus L. II. T. I. Consil. 97. n. 20.* KNIPSCHILDT *de fideicommiss. famil. cap. XII. n. 42.* HYBERVS in *pracl. ad Pand. lib. XXXVI. tit. III. §. 5.* HERING

*de fideiussor. cap. X. n. 313.* BERGER in *Oec. iur. p. 438.* LEYSER *ad Pand. Sp. 407. Med. 1.*

<sup>b)</sup> *Ad tit. Cod. ad SC. Trebell. rom. IV. Op. p. 882.*

<sup>c)</sup> *in exposit. Nouell. Part. VI. cap. IX. n. 16. p. 353.*

<sup>d)</sup> *Ad tit. C. ad SC. Trebell. n. 13.*













ULB Halle

003 263 819

3




56.











1749, 6<sup>c</sup> No: 1059.

DE

LIBERIS  
FIDEICOMMISSO ONERATIS

DISSERTATIO

QVAM

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

PRAESIDE

GEORGIO LVDOVICO  
BOEHMERO D.

POTENTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS AB AVLAE  
CONSILIIIS ET ANTECESSORE

D. VIII. OCTOBR. CIDI<sup>o</sup>CCXXXIX.

PVBLICO ERVDITORVM IVDICIO SVBHCIT

AVCTOR

IOANNES ERNESTVS RVLING,

HANNOVERANVS.

EDITIO SECVNDA.

GOTTINGAE, MDCCLXV.

